



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**DE LEGE. || ET OBITER DE LIBERTATE CHRISTIANA
ASERTIONES THEOLOGICAE, AD PROMOVENDAM
studiorum renouationem Anni 1573. in disputationem
proposenda in Archiepiscopali Collegio Societatis ...**


**Broich, Willem von dem
Lupsius, Johann**

Moguntiae, 1573

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46889](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46889)



Th. 2787.



J.H.
20

DE LEGE,
ET OBITER DE LI-
BERTATE CHRISTIANA AS-
SERTIONES THEOLOGICÆ, AD PROXI-

nam studiorum renouationem Anni 1573. in disputationem propo-
nenda, in Archiepiscopali Collegio Societatis IESV Mo-
guntia; respondente R^{dis}mi. Ill^miq. Archiep^{sc}ulus Mogun-
tini Principis Electoris Alumno, R^{do}. Domino Ioanne
Lupsio Zittardo liberalium artium M. ac S. Theo-
logiæ studiofo: præside R. P. Doctore Guilhel-
mo Brockeo Limburgio, eiusdem Collegij
professore ordinario.



Prouer. 6. 1

Mandatum Lucerna est, & Lex Lux,

Disputabuntur die Nouembris.

Moguntia. Excudebat Casparus Behem. Anno 1573.



DE LEGE,
ET OBITER DE LIBERTATE
Christiana Assertionēs Theologicæ.

Lex unde dicatur & quid Sit, Caput Primum.



^{1.}
LEX SIVE A LEGENDO DICTA SIT,
Quòd legatur; Sive à ligando, quod obliget, aut ad obedientiam, aut ad
multam, pœnamue; Sive etiam à lucendo (Lex enim Lux, ait Sapi-
ens) dubium nullum est, quin hæc omnia ad eam pertineant.

2. **QVÆ** causa est, ut omnes perniciose libertatis amatores, nomen istud, vñdecunq̃,
tandem deductum, exosum habeant. Videri enim ipsi nolunt: nempe qui male agit odit
lucem; constringi, literis quasi suis coloribus depingi, moleste ferunt, quia coguntur
erubescere, & non pro sua libidine quidlibet agere permittuntur.

3. **QVOD** quidam breuitatis studiosi, legem principis voluntate desiniant (quod pla-
cuit enim principi, aiunt, habet vim legis) secundum proprietatem vocabuli id facere cre-
dendi sunt, quæ voluntas ea appellatur, quæ rationem ducem sequitur: quam si non se-
quatur, effrenata & cæca libido non voluntas, ac proinde tyrannis potius, quàm Lex
dicenda est.

4. **ET ABSIT** à Sanctarum Legum tractatoribus, ut immani illi voci, Sic
volo, sic inbeo, sit pro ratione voluntas, assententur; quasi nihil velle aut statuere pos-
sit princeps, nisi quod rationi sit consentaneum; aut quale quale sit, quod statuit, sine con-
sentaneum siue dissentaneum, pro lege recipiendum sit.

5. **PROFECTO** lege si quid statuitur, sit ut ad normam exigatur. Nihil enim
quod temere sit, lege fieri dicitur. Idcirco astra, siue potius caelestes orbes, certa lege ferri
putamus: pisces autem in aquis, animantia in terris, & olucres in aere non putamus: quia
ibi ratio apparet, hic non apparet. Est autem omnium humanorum actuum Regula, ipsa
ratio. Vnde consequens est, ut vbi ratio abest, lex quoq̃, nulla sit.

6. **CVM** veroratio, ut sit amussis quadam, dicet quid agas, quantum, & quousq̃,
A 2 agas,

agas, quibus modis, quibus de causis, quibus instrumentis, siue adminiculis, ubi quando agas, aut non agas; Lux est ut arbitror, quam non corporis, sed mentis oculis cernas. Quae de causa, non absurdissime dictum videri debeat, legem à lucendo deductam

7. **QVOD** si maxime voluntas principis ducatur ratione non tamen feratur in Reipub. commodum, ne sic quidem vim legis habeat. Quae in actione versantur, finem sibi optimum praestitutum, id est, felicitatem praefixam, quae tanquam primo rationis principis moueantur, habeant oportet; & quaecumque sunt partis, ad totum necessario referuntur. Tunc enim est pars, quae toti non congruit. Est ergo Reipub. felicitas à principe spectanda, quando legem condere cogitat.

8. **SED** nec satis sunt haec: Nihil siquidem profuerit lucerna sub modio, nec fieri illa ratione potest, ut sequatur quis aut caueat, quod ignorat. Voluntas igitur ratione reuera, & in finem siue scopum commodi publici tendens, debet cognosci, si pro futura est: ut cognoscatur autem, edicatur oportet. Nemo enim voluntatem alterius nouit, nisi signis aliquibus proditam, inter quae teste B. Augustino, principatum verba tenent. Vt ergo dubium nihil resset, enunciatur lex, & scriptis mandetur, ut si opus fuerit, legi possit. utque legem habet, quod alij autumant, legem à legendo dictam.

9. **SVB** nomine porro principis catus quoque hominum intelligendus venit, tum quod respublica quadam legibus optimis regantur, sine principe tamen aliquo uno, tum deinde, quod nullus omnino sit princeps, qui non potestate à populo accepta utatur: alioquin confertur tyrannus: & nequequam sibi auctoritatem ferendi leges sumat, cui populus parere recuset.

10. **ESTO** igitur lex agendorum omittendorumque, in commodum & utilitatem Reipub. constituta, praescriptaue ac promulgata ratio, promulgata inquam, siue plebis, siue principis, qui totius populi personam sustinet, nomine auctoritateue.

Partitio legis & officium Caput Secundum

11. **QVONIAM** vero summa quadam ratio est, orbem vniuersum administrans, quae ut D. Aug. verbis utamur, intelligenti, non potest non incommutabilis, aeternaque videri: & lex quadam aeterna.

12. **INDE** vero qualibet in actione praelucens igniculus noster accensus: de quo in Psal. facta interrogatio: Quis ostendit nobis bona? Respondetur; Signatum est super nos lumen vultus tui domine, constituet legem uaturalem.

13. **AB** hoc emicantes quadam scintilla, hominum studiorum diligentia elicitae, factae humanae.

14. *QVIBVS* si addatur diuina, (vt quod naturali & humana deest, suppleat) sed in nouam & veterem secta, ne repente Dei opera prosiliant ad summum, sed gradatim, iuxta decretum diuini consilij, ab imperfecto eatur ad perfectum & numeris omnibus quid absolutum; quintuplex genus legis, eo, quem secuti sumus, ordine constitutum, euadet.

15. *EX* quibus facile est colligere, legem omnem ab aeterna, tanquam fonte, originem trahere.

16. *NON* ita tamen, vt continuo, nullo interiecto, singula ad eam suam originem referant; neq; vt posterior ex proxime antecedenti semper deriuetur secundum substantiam, sed quandoq; quidem sic, quod accidit in naturali & humana; alias vero per accidens.

17. *CVIVS* LIBET legis munus, seu officium ac finis est, iubendo, vetando, permittendo siue tolerando, plectendo, homines ad virtutem ducere & meliores reddere.

Lex Aeterna Cap. 3. Quae & quo pertineat, quousque pertingat.

18. *AETERN*A, est ratio diuinae sapientiae, siue prouidentiae, qua cuncta aguntur, & in suos fines diriguntur.

19. *VBI* nemo turbetur, cum reputat apud se, nihil eorum quae sunt, praeter Deum, ab aeterno extitisse, cui lex imponi posset: Vocat enim ipse ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt: Et alioqui excogitanda lex, antequam feratur.

20. *HVIC* legi subest omnis operatio naturae conditae, Spirituales & corporeae, periturae & permanens, & quam errare variariq; contingit, & quam perpetuo sibi consistere, semperq; eodem modo se habere videmus, id est, tam necessitatis quasi vinculis quibusdam constrictam, quam solutam.

21. *SED* & omnes filij Belial, quantumuis iugum omne conentur excutere, omnesq; qui spiritu Dei aguntur, licet lege non videantur egere; vtriq; tamen modo longe dispari.

22. *QV*AM quidem disparitatem multo maxime agnoscere oportet inter naturam mente & intellectu pollentem, & eam, quae siue ratione, siue sensu etiam, siue omnino vita destituitur.

23. *H*AEC siquidem ita diuina prouidentiae subest, vt iumenta prope modum nostrae tantum videlicet impulsae, illa vero vt serui vel famuli, qui & sua vtuntur industria, & se ipsi ad praescriptos fines agunt; Propemodum dixi, quia nec brutis Legem dare possumus, nec hominibus, qualem nobis Deus est impartitus.

24. *I*NSERVIT enim medullitus inextinguibilis luminis iubar, & pondus, vt ita dixerim, immensum indidit, quod quocumq; fertur, & nos plerumq; ferimur: ad nos da-

eo præcepto, ut tuncq̄ exterius sanando, quasi dubiam Litem inferimus, & vim languidam subditorum animis imprimimus.

Lex naturæ quid sit, quæ & qualia eius præcepta. Cap. 4.

25. *HÆC* est quæ naturalis Lex dicitur, quam ita definias licet, ut sit, recti præcipue ratio, quid sequaris fugiasq̄ præscribens & admonens, omnium hominum mentibus à natura ita penitus impressa, deleri ut possit omnino nunquam.

26. *QUICQUID* enim admittit, rationi est consentaneum; & ideo rectum: quicquid auersatur, dissentaneum ab ipsa; quare prauum.

27. *NAM* si illa naturalis dicenda lex est, quæ propendere facit ad id, quod secundum naturam; & nihil tam naturale est igni, atq̄ calefacere; & generatim loquendo, cuiusq̄ rei, iuxta propriam formam agere, ac proinde homini, ex ratione operari, quod est vitio repudiato virtutis normam sequi: Vnde erit recti ratio in rebus humanis, si ex lege naturali non fuerit.

28. *ATQVE* eam ob causam verissime dicitur sua amplitudine totius virtutis rationem complecti. Et à Ioanne Damasceno, Naturales esse virtutes, ac naturaliter & æqualiter omnibus quidem inesse, sed non omnes æque ea, quæ natura sunt, aut sequi, aut agere.

29. *LEX* siquidem naturalis vna & eadem apud omnes, si prima illa & latissima potentia principia spectes, Sive de cognitione, sive de æquitate loquamur. Nam quæ proximè ex illis deducuntur, & latitudinem illam astringere incipiunt, ut Vitam tuendam, Generationi vacandum, Veritatem inquirendam, raro quidem, sed interdum, tamen aliter se habent. Et quo longius iueris, quoq̄ plures conditiones adieceris, tanto id frequentius accidet. Quis enim nescit rectè agere oportere: secundum rationem viuendum esse? aut ubi tandem genitum iniquum id iudicatur? Sed reddere depositum, pleriq̄ quidem omnes affirmant iustissimum: erit tamen ubi non erit, hoc est ubi non ita res habeat, sed varius id eueniet, frequentius si loco, tempori, modo &c. astrinxeris.

30. *GENERALITATI* planè coniuncta est inuariabilitas, quomodo scilicet causa effectui suo. Quamuis enim rectè dici videatur, ideo legem naturæ non variare, quod apud omnes vna sit, non tamen id circo inuariabilem esse. At contra, & quia non variat, vna est apud omnes & quia variare non potest, vna quoq̄ est, ac non nisi vna esse potest.

31. *PROINDE* quæ mutationem recipiunt, ut sunt ea quæ à primis illis sententijs derivantur, & ipsis proximè sunt coniuncta, ac multo magis quæ longius absunt, non eadem

dem quoq; semper sunt apud omnes, & quo quidq; mutabilis, eo minus late patens.

32. *Q*UOD si quis querat unde ista aut constantia, aut mutabilitas? aptè respondebitur, quòd illa de hominum mentibus, quavis etiam iniquitate, deleri nequeant, (quòd amicus ad horam ita videatur, quando peccans contra rationem agit: Videtur enim apud se tacitè dicere, iam non esse sequendam rationem; ut verò absolutè pronunciet, ex ratione vivendum non esse, contingit nunquam) Nec autem possint, iam propter concitatos affectus & perturbationes animi immodicas, iam propter assuetudinem pravam & comparatos habitus virtuti siue rationi repugnantes.

33. *S*I neq; hìc sistatur, sed qua de causa deleri de cordibus nequeant interrogetur, non video, quid dici possit, nisi quod ita altè in federint, ut prius rationem prorsus de homine tollas, quam ista de mente eradas. Nam ulterius adhuc sciscitando pergere, est, Cur Deus hominem fecerit hominem, causam indagare.

34. *I*T A Q U E quocunq; te veritas, quicquid agas, semper & ubiq; incurrunt in oculos, magis quam caelum, caeloq; infixà astra, diu, noctuq; conspicua: quae etsi omnes cernunt, non omnes tamen mirantur, nec inde philosophandi occasionem sumunt, Sapientia tantum illud est opus, de quo scriptum est: Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia. Sic nec cuiusvis est, ex notissimis illis rerum vel agendarum, vel omittendarum principijs alia deducere, aut patentissima ad certum aliquod genus, nec absurdè, nec in epte cohibere, prudenti id est, & in rebus versatori, quibus neq; ingenium, neq; experientia rerum deest.

Legis humanae natura & qualitas Cap. 5.

35. *C*VI studio si potestas publica, cum publico quoq; commodo, tanquam scopo praefixo, accedat, nascetur lex humana, quae nempe ratio est ex legis naturae principijs, hominum prudentum industria & sagacitate deducta, autoritate pollentium sancita, dirigendis ad reipub. utilitatem subditorum actionibus accommodata.

36. *N*A M utilitatem humanae legis qui vel nescit, vel agnoscere non vult, eam de mediò tollat, & continuo videbit audaciam effrenem ferri, improbitatem dominari, innocentiam opprimi, virtutem calcari, furtis, libidinibus, latrocinijs, nullo deniq; non facinororum & flagitiorum genere omnia permisceri.

37. *S*i autem tutum non est hanc veritatem via tam periculosa discere, doceat nos ratio omnibus in rebus homines suo studere commodo, quare legibus ferendis & suscipiendis.

38. *S*uo autem dum student commodo, nihil nisi naturam perficere contendunt, cuius illustrius exemplum haberi non potuit, quam quod praesens negotium afferet; Ex naturali enim

li enim lege, ut dictum est, humana deriuatur, aut igitur naturalis non est utilis, quod in Dei iniuriam redundat, aut humana suam quoque utilitatem habet.

39. **PORRO** autem non vno modo, secundum omnem sui partem à naturali oritur, partim enim ita ut radices in eam agat, partim ut materiam ab ea subministratam certam ratione definiendam assumat. Nam quia malum nullum debet abire impune, idcirco statuit omnes Reipub. perturbatores supplicio afficiendos; Et quoniam fures aliqua pena multandi, decreuit illis apud plerasque gentes suspendium.

40. **O P O R T E T** ergo vel præluceat naturalis, humana, vel præbeat illi definitionis materiam, ita preparatam, ut verset eam pro arbitrio, & quam volet formam illam induat, circumstantiis tamen diligenter examinatis. Quemadmodum (ut ad superiora aliud exemplum adijciatur) postquam natura decreuit vindictam de peccato sumendam, relinquit hominum arbitrio, ut ieiunio, vel oratione, aut elemosynarum largitione id fiat. Quod si lege humana ad vnum è tribus astringenda sit, sanè considerare oportebit, quid horum magis auaro quadret, quid libi dinoso, quid pigro & inert. Quia in re etiam natura nos instruit. Quis enim non iudicat primo largitionem, secundo abstinentiam, tertio laborem cæteris grauiorem videri? Nullum non subibit tenax laborem, dummodo liceat illi thesaurum integrum retinere, contra qui hoc sibi propositum habet, ut cupiditates suas explicat, omnia profundit, & labores graues non recusat, spe maioris voluptatis explenda. De omnibus alijs ita iudices licet.

41. **I A M** quoniam omne quod ab alio ortum habet, necesse est cum eo quoque coniunctionem quandam & congruentiam habeat: quod & perpetuo accidit ijs quæ referuntur ad finem: Lex humana ut omnibus suis numeris absoluat, ut qualitatibus suis ornetur, erit honesta, iusta, ita sub facultate naturæ, ut non abhorreat à consuetudine patriæ, temporibus locisque accommodata, necessaria & interim utilis, perspicua, communi civium utilitati scripta, & ut breuiter tribusque, ut dici solet, verbis rem absoluamus, religioni congruet, disciplina conueniet, saluti proficiet. Sic enim & summa Regula, id est, legi diuinæ, & propria proximæque, hoc est, naturali, & fini, ad quem destinatur, respondebit.

Varie partitiones legis humanæ. Cap. 6.

42. **S E C A T V R** autem variè lex humana secundum ea quæ naturæ eius insunt, nempe quod à naturali deriuetur, quod ad publicum commodum spectet, quod à principe constituatur, quod actiones humanas dirigat.

43. **I V X T A** primū enim dicimus leges alias esse iuris gentiū, alias vero iuris ciuili.

44. *IURIS* gentium sunt, quæ ad legem naturalem relatæ conclusionis rationem habent. *Iuris* ciuiliis vero, quæ vniuersale pronunciatum ad certum aliquem modum astringunt.

45. *IUSTITIA* secundum, Alias esse Ecclesiasticas, alias, vt ita dicam, prophanas; quæ partim sunt politicae, siue ciuiles, partim *στρατιωτικαί* siue militares.

46. *IUSTITIA* tertium, alias ab vno esse Monarcha, alias à pluribus vno dominatoribus. Has vero vel à paucis esse vel à multis, id est, à toto populo, cui imponuntur; democratikas liceret appellare. Quæ autem à paucis sunt, vel potentioribus, poteruntque oligarchikæ nominari: vel melioribus et sapientioribus, siue optimatibus, quæ *αριστοκρατικά*. Et postremo, alias ita vt distinctæ sunt, genere distinctas, alias ex his omnibus mixtas; sic, vt in ijs ferendis et Monarcha, et optimates, et potentiores, et populus aliquid sibi vendicet.

47. *IUSTITIA* quartum, tot membra habere poterit partitio, quot sunt capita rerum, furti, adulterij, homicidij, sicariatus; quarum aliqua à suis denominari poterunt auctoribus. Vt Aquilia, Cornelia, Iulia, Furia, Veconia, &c.

Vis legis humanæ. Cap. 7.

48. *QUONIAM* autem Lex omnis in vtilitatem Reipub. fertur, fit, vt pluribus et personis, et negocijs, et temporibus debeat esse accommodata; quia nec ad horam durare, nec tantum singulari alicui rei, imo nec rarius euenienti inservire, neque personæ solum priuatæ commodare debet. Bonum enim commune non vna in re consistit, nec ad vnicam personam in se spectatam pertinet; Vt non dicam privilegia esse, non leges, quæ priuatas personas concernunt: et vtilitatem regulæ vllam vix futuram, si tot sint, quot res, ad eam examinandæ.

49. *NAM* ad tempus durabiles esse leges fortè dicere possemus, Si Reipub. commodum momentaneum quoque quaereretur.

50. *HINC* etiam est, quandoquidem facultati eorum, quibus imponitur, et secundum naturam, et secundum consuetudinem patriæ subesse debet, quod non omnia vitia prohibeat (quantumuis ea que permittit, diuina providentia non sinat abire multa) sed grauiora tantum, et potissimum quæ in aliorum iniuriam cedunt; vt sunt veneficia, homicidia, furti et adulteria &c. à quibus plerique omnes cohibere se possunt, à reliquis non item; quia graue est homini virtutibus destituto (cuiusmodi pars populi maxima esse solet) eadem agere, quæ virtute præditus.

51. *QUARE*, si hos fines egrederetur, vehementer emungendo, eliceret sanguinem;

B vinum

vinum nouum in vres veteres infundendo, id est virtutis absolutæ præcepta hominibus inferioribus adhuc & imperfectis, siue à virtute alienis tradendo, duplicem iacturam faceret, & vasis & liquoris: prorumperent enim iugi grauioris impatientes, & desperabunt ad peiora, & simul contemnerent, pessundarentq; sibi data præcepta.

52. *NEC* pugnabit tamen, si dicantur leges, quod verum est, præcepta de omnium virtutum operationibus siue actionibus dare; Aliud siquidem est de omnibus siue potius singulari virtutum operibus, aliud de omnium virtutum opere aliquo mandare. Nam non necesse est, vt omne virtutis opus ad reipub. commodum (quod tamen oportebat si lege exigi poterat) referatur, quamuis nulla virtus sit, cuius actus aliquis eò referri non queat.

53. *INDE* est præterea, & quia religioni consentanea, & quia iusta: qualis sine debito esse dignoscitur, si legislator permissam sibi potestatem vltra fines præscriptas non transferat: si publici commodi causa, non propria gloria consulendi, non cupiditatibus suis satisfaciendi gratia, eam ferat; Si ipsa seruata Analogia honores & onera æqualiter distribuatur, quod in conscientia, hoc est, coram Deo obliget, ita vt Deo & hominibus iniurius, quæ non violari, merito pronuncietur.

54. *ID* adeo verum est de omnibus hominibus lata lege, quocumq; tandem nomine censeatur. Nam per me, ait æterna sapientia, reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Et Apostolus, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Cuius causam reddens, Non est enim inquit potestas, nisi à Deo. Ex quo infert resistere eos Deo, qui potestati resistunt. Quid deinde mali huiusmodi resistentia, siue reluctatio secum ferat amittens; Qui autem resistunt, ait, ipsi sibi damnationem acquirunt, ob eam nimirum rationem, quod principes & magistratus, in quorum est potestate leges ferre, & sancitas custodire, non bonum opus, sed malum prohibeant, intendentq; minas improbis, non virtutis studiosis, nec tandem concludens: Ideo inquit necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.

55. *VNDE* quid possumus suspicari de ijs, qui cum se legum ciuiliū patronos exhibeant, quamuis ab earum professione alieni, ecclesiasticarum tamen non modo sunt contemptores, verum etiam acerrimi impugnatores, execratores, atq; adeo exultatores: nisi odio et inuidia in clerum ita exaccatos, vt nec meridiana luce magis conspicua videant, nec saltem in tenebris palpent.

56. *NAM* leges ecclesiasticae nihil minus habent, quam politicae. Si enim principibus secularibus parendum est, atq; adeo omni humanae creaturae propter Deum, quanto magis religionis Antistitibus, principibus nimirum à Deo super omnem terram constitutis, quibus dictum est: Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. Et propterea apostolus, Itaq; qui

hæc spernit, inquit, non hominem spernit, sed Deum: qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis; & Dominus: Quæcumq; ligaueritis, erunt ligata: & si quis ligaverit, Sicut misit me Pater &c. (quis dubitat cum potestate, ut esset dux & legifer? &c.) & ego mitto vos.

57. **RELIGIO** deinde ut conseruetur, magis ad uigilandum est, quam ut iustitia ciuili, etsi neutra sine altera consistat. Altera enim in hominum cum Deo, altera in hominum inter se commercio sita est. Indicio esse possunt motus graues & diuturni Rerumpub. obmutata doctrinam ecclesiasticam, quales propter contentionem de finibus regnorum, aut de iniurijs acceptis, perraro accidunt.

58. **LONGE** aliter quam isti D. Paulus & Silas, qui perambulantes Syriam & Ciliciam confirmabant ecclesias, precipientes custodire præcepta apostolorum & Seniorum: Ideo, ut arbitror, quod facile hominum decreta, ut iudicantur, quamuis aliqui uilissima: negligantur; Dei autem non nisi à perditis. Quapropter instandum & uigendum, ne homines labantur in id, ad quod uehementer propendent.

59. **CALVMNIA** est itaq; qua grauantur ecclesie prælati, tanquam sua magis, quam Dei præcepta ab hominibus seruari uelint, quod sæpius ea inculcent, & seuerè exigant: quasi non idem faciant reges terræ, contenti de uita sustulisse sacrilegos, in lasa autem maiestatis reos exquisita decernentes supplicia, & nemo istorum obgamit, sed nec à nobis reprehenduntur, quia iustam id faciendi causam habere cognoscuntur.

60. **CÆTERVM**, non ecclesiasticas leges reuellunt, aut abiiciunt, nouimus, sed pontificias, & ut melius quid dicatur intelligas, decreta, ut aiunt, papistica. Nam, nec si uelint, sine legibus ad religionem pertinentibus uiuere queunt, nec minus sunt solliciti, quam fuerint unquam, iudicio ipsorum, Romani pontifices, ut regnum sibi statuunt & muniant.

61. **CREDAS** itaq; in eos quadrare, quod ad Ieremiam prophetam dictum est, constituite hodie super gentes, & super regna, ut euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes (id quod fateor strenue sunt facere conati) & edifices, & plantes: nisi casulas & magalia, ubi quondam regni turres & ingentes edificiorum moles, nisi Synagogas, ubi aliquando bene constitutas ecclesias, nisi labruscas, ubi olim præstantissimas uites, nisi deniq; cicutam et zizania, ubi pristina atate helleborum & latissima frumenta: id est, ut modestissime dicam, leuia pro grauib⁹, tenuia pro grandib⁹, parum docta, pugnantiâ, insipida, amara, inutilia, noxia, pro doctis, constantib⁹, sapidis, suauib⁹, conducibilib⁹, salubrib⁹ reposita uideres.

62. **QVOD** autem dictum est de obligatione legis humanæ, non ad certum aliquod genus hominum, nec ad paucos quosdam, sed generaliter ad omnes pios & impios, plebeios et nobiles, quin & ad principes, & ad prælatos ipsos, qui sunt legum latores, pertinet.

63. **LEGVM** itaq; latores loquens, Patere legem, ait sapiens quidam, quam ipse tu-

levis. Quod nisi iustissime exigeretur, non tam graviter dominus argueret eos, qui alligant onera gravia & importabilia humeris aliorum, digito autem suo nolunt ea movere: nec leges ipsa ecclesiastica monerent quemq; eodem iure uti, quod in alterum statuit. Iustus requirit legi pareret, desineret esse qui erat, fieretq; impius & peccator, sceleratus & contumacius, patricida, matricida, homicida, fornicator, masculorum concubitor, plagiarus, mendax, periurus; aut si quid aliud sanae doctrine aduersatur. Sic et agi desineret à spiritu sancto, qui antea agebatur. in corde enim omnium, quos ducit Spiritus, loquitur illud D. Petri, Subiecti estote omni humanae creaturae propter Deum.

64. NON eodem tamen per omnia modo quo ceteri sub lege sunt, Iustus, cui legem positam negat Apostolus, Spiritu Dei actus, quem ait non esse sub lege, princeps, quem vera lege solutum asserunt, sed ita ut dirigantur à lege, ne quid præter eam faciant.

65. EATENVS autem iustus non sub lege, quatenus sponte, ex charitate mirum, siue amore, non coactus, agit, quæ iubet lex. Et qui Spiritu Dei agitur, quatenus circumstantiæ lex humana repugnat. Vbi multi Spiritu vertiginis agitati vehementer decipiuntur, certo certius sibi persuadentes, multo illo Apostolico se plenos, & igne, quem dominus Iesus venit mittere in terram, accensos: non sunt contenti semel fortè à communibus legibus discessisse, sed omnia sursum deorsumq; vertere, omnia permiscere, pro sua libidine, tentant.

66. PRINCEPS simili ferè ratione, quæ iustus. Sponte enim debet facere, quod aliis coacti, cum non habeat, qui eum iudicando condemnet, neq; qui penis coerceat, nisi quis à se ipso, quod absurdum est, cogi posse dicatur.

67. CVM ergo Lex vim geminam habeat, dirigendi, & cogendi, altera quidem ad iustum, & principem virum pertinet, & illius ratione uterq; dicitur esse sub lege, altera vero minimè, qua parte accidit neutrum subesse legi.

Legis humanae abrogatio & relaxatio Cap. 8.

68. EST tamen & alia ratione princeps supra legem, tum quod eam mutare, si retinetur, potest, tum quod aliquid de ea, pro loco & tempore, relaxare possit.

69. QUAMVIS enim non expediat crebro mutare leges, etiam si melius quid occurrat, propter ingens detrimentum, quod mutationem subsequi solet, etiam in re aliquo mutari usq; adeo magni momenti, ratione consuetudinis inolitæ, quam ægerrime relinquunt homines, sed & ratione temeritatis audaciæq; violandi leges constitutas, quam non nulli, hinc occasione sumpta, assumunt improbi: Videtur enim evanescere vis legum, quæ sæpius variantur: Nonnunquam tamen id rectè fieri posse, & ratio, & exempla docent.

70. *NAM* quod in vnoquoq; nostrum accidit, vt ratio paulatim & successu temporis, rerum vsu, & meditatione crebra longaq; perficiatur, id etiam in toto hominum genere cernitur. Rudiora enim priora fuere secula, & transeuntibus annis, facta sunt ingenia limatiora. Sicq; animaduertentur in prisorum institutis aliqua desiderari posse, quae ad communem vtilitatem pertinerent. Videmus quoq; hominum mores, & ingenia mutari, populos diuersis legib; assuetos commisceri, vt quae his facile, nõ illis æquè possint quadrare.

71. *EXEMPLA* prophana si quis querat, mille credo pro vno reperiet. Sacrum illud nobis suffecerit, quo sanguinem & suffocatum non edendum Apostoli sanxerunt.

72. *VBI* ergo euidentissima occurrit vtilitas, quae adiuncta incommoda facile exsuperet, quis negabit posse, immo, veteri abrogata, nouam legem condi debere?

73. *ADDE* quod interdum necessitas ita exposcat, vt cum deprehenditur lex manifestam continere iniquitatem, aut noxia plurimum, si obseruetur.

74. *CONSVETVDINEM* praeterea, quae efficacius loquitur, quam lingua, sicut legem instituere, ita abrogare, certius est quam vt in dubium vocari debeat, praesertim vbi populus libertate sua vtens, auctoritatem habet condendi leges: vbi vero non habet, sed ij qui habent tacent, & dissimulant, probare iudicantur quod in consuetudinem abiit.

75. *VERVNT AMEN* non quæuis absq; discrimine consuetudo eam vim abrogandi prius constitutam legem habebit. sed ea duntaxat, quæ ab epikeia, ab æquo & bono, vt dicitur, ortum habuerit. Nam consuetudo mala quantumuis diuturna, aduersus bonas leges vim nullam habere potest.

76. *INCIDVNT* etiam casus, vbi mentem quam verba legis latoris tutius & rectius sequaris, maxime, cum rei sermo, non contra sermoni res, vt ait B. Hilarius, subesse & seruire debeat.

77. *IMMO* contingit nonnunquam, vt perniciosum sit apicibus adherere. Quapropter recte Modestinus, Nulla iuris ratio inquit, aut æquitatis benignitas patitur, vt quae salubriter pro vtilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione, contra ipsorum commodum, producamus ad seueritatem quid enim? Si peregrino prohibitum sit muros ascendere, ascendat tamen vt hostem inde depellat, reusne violatæ legis censetur? Aut is contumaciter egisse iudicabitur, qui ad presentem & vrgentem libidinis ignem extinguendum, contra canonem ecclesiasticum Dominico die ieiunauerit?

78. *CAVENDVM* tamen est, ne quilibet qualibet in re audaciam hanc discedendi à lege sibi sumat: grauis enim sit oportet & euidentis, vehementerq; vrgens, quæq; moram nullam admittat.

79. *NAM* indignum videtur, vt leuibus & propemodum ludicris nescio quibus cau-

sis, leges sanctæ cedant. Et ubi hæsitatur, aut ubi hæsitacione sublatâ, otium et tempus datur, in re alioqui satis gravâ, ad eundem est tamē legislator aut princeps, qui legis sententiam exponat, vel legem relaxet, siue dispenset: præsertim cum verissime dicatur, quemq; in propria causa cæcutire.

80. *ATQVE* hoc demum dispensare, non dissipare est, quando certa & gravi de causa decernitur huic homini non expedire, aut in tali negotio non oportere, communē legē sequi.

81. *DE* humana sermo est. Nam quod ad legem naturalem attinet, solus auctor naturæ, aut certè cui peculiariter vices suas commiserit, dispensandi (si quæ dispensatio sit) facultatem habet; quemadmodum & in diuina de qua nunc agendum est, siue veterè, siue nouo.

*Legis diuinæ tradendæ quæ fuerit necessitas,
& quæ sit natura. Cap. 9.*

82. *DIVINA* lex, & aternæ, & naturali, & humanæ adiecta, præter ingentis Dei amoris, curæq; singularis erga genus humanum argumentum euidentissimum, cuius san- quog; habuit non obscuram, nunc indagandam.

83. *SI* homo ad morem cæterorum animantium, aut sensu vitæ, carentium, à Deo opt. max. in suum finem dirigeretur: præter aternam legem alia nulla fuisset opus; sed quoniam sic eum agi oportebat, ut se etiam ipse ageret, impressa est menti eius constantissima rerum agendarum regula, quam legem naturalem dixim⁹: Quæ quidem sufficere potuisset, nisi difficilis esset rudioribus quæ hominum maxima pars est, accommodatio vniuersalis prænunciati ad tot tamq; diuersa negotia: nisi et Deus vellet homines, saltem aliquos, in inuenienda veritate, & rectè diiudicatione exercere: nisi plurimi cupiditatibus suis abducti, ad rationis intus loquentis voces obsurdescerent. Hinc ergo leges humanæ.

84. *SED* quid? humana ratio in multis labitur & deficit; non enim omnem peccati turpitudinem rescindit, quia non potest pro omnibus delictis iustas exigere poenas; quod si facere contendat, & bona tollat plurima, & utilitatem vehementer impediât publicam: ad recessus animi & cordis occulta non penetrat: in disquisitione veritatis plerumq; si non aberrat, hæsitat, maxime in contingentibus siue fortuitis & singularibus: æquitatis & iustitiæ indeclinabilibus non semper insistit: vix: ad summum veræ beatitudinis finem non perducit, quia facultatem eius excedit.

85. *OPVS* igitur fuit homini lege immaculata, peccati cuius suis deformitatem exc-

ferunt

uente: *fideli, cui sine dubitatione crederetur, cui sine formidine fideretur: ueram paruulis, hoc est, insipientibus, & uiam ciuitatis habitaculi ignorantibus, sapientiam praestante, dirigente scilicet ad ultimum beatitudinis aeternae finem.*

86. *HÆC est, quæ diuina & domini lex dicitur, cuius naturam hisce ferè uerbis complecti licet: Ratio diuinitus accepta, uerbo uel scripto tradita, omnia uitia cohibens, actus quoscunq; humanos, siue intus in animo lateant, siue foris se prodant, ad aeternam beatitudinis finem certissimè dirigens.*

87. *SED hæc ratio (ut antea dictum) gradatim ijt, nec repentiè conscendit ad summum. Seruabatur istud temporibus Euangelij, uenturo Messia, qui omnia in omnibus suo aduentu adimpleret, omnia perficeret, introductione melioris spei, melioribus promissionibus, planioribus plenioribusq; mandatis, uinctione spiritus abundantissima.*

Lex uetus bona, Cap. 10.

88. *PRÆCESSIT ergo lex Moysi, tanquam pædagogus in Christo, præparans ad subsequituram perfectionem, per Christum conferendam, eandem varijs imaginibus sapientum oculis subiiciens, & apertis etiam uerbis promittens; ut ad illius amorem & desiderium hominum animos accendret.*

89. *QVOD igitur dictum est ab Apostolo, Nihil ad perfectum adduxit lex, si ita accipias, quasi nihil omnino suos ad eam promouisse significetur, uehementer falleris: Sin uerò, nemini absolutam perfectionem contulisse; nihil uerius.*

90. *SED num statim malum, quod non optimum? nullius gradus, quod non summi? nullius ordinis, quod non primi?*

91. *IMMO uero nisi, quod D. Dionysius dixit, Gradus esse in bonis, uerum fuerit, ut alia alijs sint meliora, alia alijs minus bona; nihil erit optimū, nihil summū, nihil primum.*

92. *BONVM haud dubie est, quicquid rationi peccatum auersanti consentit, quod facit lex, concupiscentiam ad peccatum pellicentem ac quadam ratione trahentem, prohibens. Bonum, quod omne malum, peccatum dico, omnis generis uetat, Ideoq; inimicus & osor peccati Apostolus, Condelector, ait, legi secundum interiorem hominem.*

93. *IDEM ubi id maxime sibi propositum habet, ut commendat gratiam, quam ferè legi obijcit, ne quis inde erroris occasionem acciperet, Lex (quærit) peccatum est? & respondens*

dens, Absit, ait: & infra, Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum: præterea, Si autem quod nolo hoc facio, consentio legi quoniam bona est: postremo, Itaque, lex quidem sancta & mandatum sanctum, iustum & bonum: quo quid expressius dicere potuit?

94. **DOMINVS** in Euangelio interrogatus à legisperito, quid faciendo vitam æternam possideretur? In lege, respondit, quid scriptum est? quomodo legis? quasi diceret, ad eam legem, lex te docebit. Nam cum mandatum de dilectione Dei & proximi ille recitasset, subiunxit Christus, Hoc fac & viues. Si mors mala, vita autem bona, maxime vero æterna, profecto lex non potest non esse bona, quæ viam ad talem vitam demonstrat.

95. **DENIQUE** aut lex à Deo non est, aut à Deo non bona est, aut Deus bonus auctori mali est, aut lex bona est.

96. **NEGARE** legem à Deo esse, est, scripturam negare. Sicut scriptum est, inquit Euangelista, in lege domini, Quia omne masculinum etc. et apostolus, Mente serui legi Dei.

97. **DEVM** esse, & non bonum, absurdissimum est & omnino non constans.

98. **DEVM** bonum auctorem esse mali, blasphemum est, planeque pugnant.

99. **EIVSDEM** farina est, malum Deum aut velle, aut posse aliquid quod ad salutem conducat, suadere. Nemo enim vel perniciosissimus Manichæus, negare potest, legem alibi tale quippiam suggerere.

100. **SI NON** esset lex a bono Deo & Patre Domini nostri Iesu Christi, non tam graviter Scribas & Phariseos, irritum facientes mandatum Dei propter traditiones suas, Christus dominus argueret, utique, non ostendisset ipsa verbis & signis prophetis venturum Messiam, non ad eum pedagogicè deduxisset, quod fecisse tamen satis indicat. Apostolus, priusquam veniret, inquit, fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat. Quamquam quid apertius dici potuit, quam, lex pedagogus noster fuit in Christo?

101. **QUIS** præterea credat angelos aut malo Deo, aut cuiuscumque tandem, in reimpia machinanda, ministerium suum præbituros fuisse? At qui hæc lex est, de qua B. Stephanus ad Iudæos, Accepistis legem in dispositione angelorum, & Apostolus, Lex ordinata per angelos in manu mediatoris, puta Moysis.

Quibus & quo tempore Lex vetus est data. Caput. II.

102. **ERAT** igitur lex vetus bona, & suo etiam modo perfecta, quia Dei perfecta sunt opera. idcirco Genti Iudæorum peculiariter data quod iuxta promissiones patris eius, cum primis autem Abraham factas, ex ipsa Christus nasciturus erat, & ideo præter-

eris terrarum populis, sanctitate praeire debebat. Sanctum enim Sanctorum Stirps sancta decebat: Sancti, ait, estote, quia ego Sanctus sum.

103. **NON** ergo sua id constantia in cultu vniuersi veri Dei, ceteris ad idololatriam declinantibus, meruisse familia illa credi debet: cum ad captiuitatem vsq; Babylonicam, ad sequendum Deos alienos fuerit propensissima. Nec mirum, quando neq; patres eorum, factas sibi promissiones meruerant: quemadmodum nec electionem meritis suis ascribere poterant.

104. **SCIMVS** autem, quoniam, iuxta Apostoli verba, quaecumq; lex loquitur, ijs qui in lege, vel sub lege sunt loquitur: vt nulli proinde alteri, praeterquam nationi Iudaicae, necessarium fuerit eam sequi, nisi quatenus fines natura contingebat: hoc est, Iudaeum tantum obligatum fuisse ad obseruantiam legis in solidum; reliquos vero, quatenus praecipita legis natura repetebat, non quatenus in caeremonialia, iudicialiaq; se diffundebat.

105. **AD** quorum obseruationem inuitatus est ille populus, propositis paenis et praemijs ijs, quibus maxime moueri solent animi praesentis vitae amantes; rerum videlicet prosperitate, gloria, honore, libertate, pace, tranquillitate, fecunditate, copia siue abundantia, saturitate, sanitate, vita, & si qua sunt eiusmodi pellectus; Contra infelicitate, ignominia, dedecore, seruitute, bello, perturbatione, sterilitate, egestate, fame, egritudine, morte deterritus: quod ad modum pueri in vita spiritualis siue caelestis ratione, tanquam puerilibus rebus esset fouendus, fouendus inquam & veluti manu ducendus; dum tamen in illis, quasi in supremo bono, & sine summo non quiesceret.

106. **ENIMVERO** sicut ex ceteris gentibus nullus legem per Moysen datam suscipere cogebatur: ita nec ei⁹ obedientia profiteri prohibebatur; praescribitur proinde in Exodo, quid aduena phae celebrare, et in Iudaeorum coloniam transire volens, agere debeat. Nec hoc est, quod Dominus in scribis & phariseis, mare & aridam circum euntibus, vt vnum faciant profelytum, arguit, Sed quod ad religionem ductum facerent filium gehenna duplo, quam se: perinde omnino, ac si diceremus, nemine de plebe teneri ad suscipiendum ordinem ecclesiasticum, quamuis in assumpto sit perseverandum: aut non cogi quenquam, vt religionem monasticam profiteatur: quam tamen vbi semel professus fuerit, non licebit retractare, sicut aduena non erat integrum retrocedere.

107. **PER** hanc legem didicit homo, quid posset: ante eam quantum saperet. Nam quia superbia elatus, peccando Deum reliquerat, per abiectiorem & animi submissionem reducendus, sibi tantisper oportebat relinqueretur, donec caecitatem suam agnosceret; qua agnita, adhuc inflatus incedere poterat: Non deerit iactitans, qui pareat; modo non desit, qui iubeat, & quid agere oporteat, praescribat.

108. **DISTVLIT** itaq; Deus legem mandatorum in tempora Moſis, quando extincta penè fuerat lucerna noſtra, radius diuini luminis: data autem per multa proſecuta ſacula; vt vires ſuas, qui iam lege docti erant, vſq; ad tempora legis Euangelice experirentur.

Quid ſit Lex vetus & quotuplicia eius præcepta. Cap. 12.

109. **EX** quibus omnibus huiusmodi legis veteris deſcriptio tradi mihi poſſe videtur: Lex diuina à Deo per angelos, Moſe miniſterium ſuum præbente, populo Iudaico de ſeruitute Aegyptiaca egredienti, ad ſanctioris viæ præ reliquis gentibus inſtitutionem, propter Chriſtum de eorum ſtirpe naſciturum, data; ad ſui obſeruationem huius viæ vel pænis cogens, vel præmijs inuitans, & alliciens.

110. **EIVS** præcepta penè innumera ad tria genera reduci poſſunt, atq; adeo ad vnum, ſi finem intueamur omnium, caritatem.

111. **GENERÆ** tria ſunt; moralium, cæremonialium, & iudicialium.

112. **MORALIÆ** ex præſcripto rationis, mores informantia, & proinde à naturali lege deducta ad virtutem pertinent, quæ Deo nos ſimiles reddit, & proinde amicos: qui eſt ſinis primarius legis diuinae: ſicut humanae proprius eſt, amicitiam hominum in ſe & conciliare, & conciliatam tueri & conſeruare. Virtutem autem intellige ſine exceptione omnem, cum enim mente & ratione homo Deo coniungatur, vt in qua eius imaginem gerat; ſi ea futura ſit, qua oportet, integritate, & dignitate; & in ſe, & in ſuis actionibus erit: in ſe quidem, virtutibus ijs, quæ ſedem ſuam in ſuperiore animi parte collocant, et ab intellectu denominationem habent; in actionibus verò latentibus, vt moderandis affectibus, ijs quæ morales vocantur: patentibus .i. externis, iuſtitia.

113. **CÆREMONIALIÆ** ad cultum diuinum, ſiue ad actus religionis referuntur; qui quale ſic, & quomodo ſint exercendi: non quod religio virtus non ſit, ad quam moralia dicta ſunt pertinere; ſed quod deſignare modum colendi Deum, cum varius eſſe poſſit, vna & inuariabili ſententia, quam natura dictat, manente, Deum nimirum eſſe colendum, aliò pertineat.

114. **IUDICIALIÆ** ad communem hominum inter ſe conuictum conferunt. De quo quidem eadem natura pronunciat, iuſtè & amanter viuendum cum proximo; ſed Iudicialia; qua ratione id fieri poſſit, præſcribunt.

115. **PRÆTER** tria hæc præceptorum genera, plura deſiderari non poſſe videtur. Siquidem

Siquidem hic finis legis diuinæ, vt hominem cum Deo, & quibus tum agit, immò cum cæ-
teris omnibus componat. Moralia illud per cultum religiosum fieri debere edicunt, hoc per
iustitiam & aequitatem. Sed quis sit cultus Deo pro temporis ratione gratus & maximè
acceptus, ac in quibus consistat iusticia, caremonialia, iudicialiaq; ostendunt.

116. **QVO** D autem paulo antè dictum est, moralia in legem naturæ referri, de omni-
bus quidè accipiendum est: verum non pari gradu, sunt enim, quæ adhiberi primorū & ge-
neralissimorum principiorum examine, non magno studio ab omnibus vel agenda, vel omit-
tenda cognoscuntur: æqua, vel iniqua iudicantur: sunt, in quibus ingenio opus est, & la-
bore multo: sunt postremo, ad quæ omnino celesti siue diuina indigemus institutione.

Præceptorum decalogi cum ceteris moralibus coniunctio, distinctio,
ordo, ratio qua tradita sunt, & obedientia quam exigunt
fructus, præstite obedientiæ. Cap. 13.

117. **PRIMI** generis, siue ordinis sunt præcepta Decalogi; ad quæ tamen omnia alia
respiciunt. Nam summa illa, ad quæ nulla opus est instructione, quibusq; fidei lumine præ-
missis, facile assentimur, tanquam principia ad conclusiones. Reliqua, quæ studio virorum
sapientum egent, vice versa; propterea quòd illa in medio consistant, et iam fidem faciant,
iam aliunde accipiant; iam fontis, iam riuuli, iam fundamenti, iam ædificij subeant
rationem.

118. **EORVM** si de distinctiõne agatur, D. Augu, tria tantum ad dei charitatem, ad
proximi, vero dilectionem septem referentis sententia magis probanda videtur, quam eo-
rum, qui vel quod ille pro vno accepit in tria secant, reiecto de sanctificatione Sabbathi man-
dato, quod facit Esaius; aut qui eo relicto, in duo; quæq; ille tanquam duo distincta accepit,
de vxore, & rebus proximi non concupiscendis, ipsi in vnum copulant.

119. **ABSVRDVM** enim in primis videtur, inter præcepta decalogi referre, quod
ad decalogum non pertineat; quodq; pertineat rejicere, satis temerarium. Deinde cum cer-
tum sit iuxta verbum Euangelij, neminem dominis duobus seruire posse; eiusdem rationis
est: Non habebis &c. cum eo, quod præcessit, Ego sum dominus Deus tuus; nisi quod nega-
tio affirmationem exponit.

120. **PORRO** facere sculptile, prohibitum quidem; sed in eum finè, vt ne adoretur: alio-
qui Moses nõ fuisset iussus facere duo Seraphim, et ea honoratissimo tabernaculi loco consti-
tuere; nec Salomon tantū sibi sumpsisset, vt tot et hominū, et bestiarū, et aliarū rerū simula

era in templū auderet inuehere, Quod cum ex omnib⁹ locis, vbi commemoratur hoc præceptū facile est colligere; tum maxime ex 26. Leuitici, vbi sic legimus; Non facietis vobis idolum & sculptile, nec titulos erigatis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra. Quæ in re quis ignorat quoties peccatum sit, & à bonis quidem viris, si quavis ratione id præceptum prohibuit? non autem putari debere, manifestè ostendit, quod sequitur; Vt adorari eum, inquit.

121. **POSTREMO** quamuis omnem concupiscentiam vna quadam communi ratione comprehendere liceat, cuius rei gratia Apostolus, cum de ea loqueretur, singulari numero vsus, concupiscentiam, ait, nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces: tamen distincta est concupiscentia carnis à concupiscentia oculorum, frustra enim alioqui dixisset B. Iacobus, Omne quod in mundo est, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ: cum breuius dicere potuisset, imma ex illorum sententia debuisset, Aut concupiscentia est, aut superbia vitæ. & proinde rectè censet D. August. illam, non hanc, mandato prohiberi.

122. **SI** de numero queratur, respondendum nec plura, nec pauciora decem esse: totidem enim quicquid ad commercium ciuitatis Dei pertinere potest, quicquid Deo, quicquid hominibus debeas, continetur.

123. **NAM** si principi, qui hinc Deus est, fidem serues, si honorem & reuerentiam deferas, si grati animi significationem pro beneficijs acceptis exhibeas; omnia reddideris, nihil erit, quod à te ille desiderare queat.

124. **FIDES** in eo cernitur, quod in neminem alium principatum transfers; honor, quod nihil mali contra eum machinaris; gratus animus, quod obsequium & obedientiam præstas.

125. **HOMINIBVS** etiam omnia reddideris, si innocentiam conseruaueris, si beneficentiam colueris: beneficentiam in bene meritos, innocentiam in omnes; nulli neq. facto, neq. verbo, neq. cogitatione, neq. quod ad fortunas, neq. quod ad familiares, neq. quod ad personam propriam spectat, noceas.

126. **VT** deinde plura sint denario numero, non cogit quod omni virtuti, quæ præcipitur, vitium respondeat, quod prohibetur; præterquam enim quod negationes affirmationibus continentur, & affirmationes quadam ratione negationibus: non facile occurrit omnibus, cur teneantur esse beneficii in alios, quam de se bene meritos.

127. **NFC** illud quoq. numerum augere cogit quod homini de dilectione sui nihil præcipitur. Nemo enim facile intelligit, quomodo sibi debitor existat, quod ad rationem præcepti necessarium erat. Rectius tamen dixeris, nemini vnquam amorem sui semel à natura inditum

inditum excidere; vt nulla proinde opus sit admonitione: Neq; porro quod multa propter Sabbathū celebranda festa Iudæis iniuncta fuerint. Inter omnia enim dei beneficia, siue iam tum præstita, ad quorū commemoratiōe festa instituta; siue postea præstanda, quorum generentur significatiōem, præcipua, nempe omnibus communia & permanentia erant verum conditiō, & quies æterna mentis in Deo; quibus seruasse Sabbathum ex c. Exod. 20. & Esaiæ 58. discimus. Alia autem per reliqua festa commemorata beneficia, & priuata & temporaria, fuerunt, ideoq; nec numerum istum ad omnes in commune pertinentem augere potuerunt.

128. **DENIQUE** non adulteratio verbi Dei, quia ad paucos pertinet; non amor parentum in filios, quia non ita perspicuum est, parentes filijs esse obligatos, sicut constat filios plurimum debere parentibus; quanquam & filij quiddam sunt, & veluti pars substantiæ progenitorum qui amorem sui non possunt deponere; non tandem alia, quæ pulsare leuiter, quod constitutum est semel, magis, quam reuera euertere videri possunt.

129. **CÆTERVM** quæ præterea morum præcepta lege continentur sicut decalogo exprimi non debuerunt, ita ad eum facile reducuntur: vt quæ de filiorum lustratione, de maleficijs, de incantatoribus, ariolis, diuinis, pythombus, mortuis, somnijs, augurijs &c. ad primum; de blasphemijs, ad secundum; de reuerentia erga maiores natu & beneficentia erga quoscunq; ad quartum; de odio & quacunq; machinatione contra proximum, ad quintum; de meretricibus, fornicatione, masculorum concubitu, ad sextum; de foeneratione & diuersis ponderibus, ad septimum; de iniquis iudicijs, ad octauum; Nonum autem & decimum omnem prohibent cupiditatem prauam.

130. **VT** vero pauciora decem credantur sufficere potuisse, non efficit quòd præcisa concupiscentiæ radice, nullus expectari possit fructus aut furti, aut machiæ. Ordo siquidem postulabat, vt prius facta prohiberentur; quibus tamen sublatis non continuo animi cogitata in vitio esse credi poterant. Postulat enim ordo, vt quo quidq; grauius & rationi magis aduersum, eo prius vetitum intelligatur.

131. **CVM** igitur perniciosius erretur circa finem, quam circa ea, quæ referuntur ad finem; & cum iniuria sit maior, deficere à principe, quam reuerentiam non exhibere; cum præponderet non delatus honor obsequio eidem denegato, cum multo indignius negligantur parentes, quam quicunq; alij; cum se prius quisq; saluum velit, quam coniunctissimum sibi; cum amplius vrgeant verbera, quam verba; cum vehementius vrant contumeliosæ voces quam cogitationes; non difficile est iudicare, quid primo, secundo, tertio, quarto, &c. loco constituendum fuerit.

132. **IAM** si tradendi modum spectes, quòd non omnia affirmatiuè, nec omnia negatiuè,

aut simul affirmatiue & negatiue; quod quibusdam addatur ratio, quibusdam promissa quibusdam minarum terror, quibusdam de recordatione ad monitio, pluribus vero non aditur; mirari desines, si causas intueberis.

133. *AVT* enim mentio sit memoriæ habendæ de sanctificatione sabbathi, quod ad obliuionem collati beneficii arcendam institutum sit, aut quod habeat aliquid adiunctum non ex lege naturæ sumptum.

134. *MINIS* etiam opus est ibi præcipi, vbi prouiores sunt homines ad malum; ratione, vbi non tanta veritatis euidentiæ; promissione, vbi non commodi. Nam de affirmatiuis & negatiuis præceptis quid respondendum sit, non potest esse obscurum, si quæ supra dicta sunt memoriæ repetantur.

135. *POSTREMO* si obedientiæ exactam rationem, quam decalogi præcepta exigunt, diligenter perscrutatus fueris; inuenies non eo solum constare, vt sciens, prudens, opereris, quod etiam lex humana exigit; amplius nihil vt pœnam, quam minatur, enala. (Quis enim deberi ei aliquid credat, qui alteri perniciem moliens, imprudens profuit, aut quis pœnam statuendam in eum, qui prodesse studens, obsuit?) verum etiam vt cum deliberatione volens, et eligens, & quem decet, scopum actionibus tibi præfigens; quod quidem lex humana non curat, sed neglectum diuina mulctat.

136. *NAM* cum homo videat tantum ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor; non habet ille de motibus siue affectionibus animi iudicare, nisi forte quatenus se certissimè produnt indicij; quare nec pœnam statuere, et idcirco neq; mandare, neq; prohibere. At contra dominus, Qui irascitur fratri suo, ait, reus erit iudicio.

137. *VT* autem quis firmiter & constanter operetur, quod propriè est ex virtutis habitu operari, nec homo vlla lege, nec Deus decalogo exigit: aliqui eo destitutos, qui quid tentaret, in laqueum sibi conuerteret, à quo non ratio modo abhorret quam maxime, verum etiam Tridentinum Concil: Sess: 6. Can. 7. & Deus nostris magis delectari patris, quam præmijs & probitate videretur: nec esset hoc homines ad virtutem ducere, qui scopus est omnis legis, sed repente omnes in damnationis foueam præcipitare.

138. *SED* neq; (quod fortasse miraberis) decalogo exigitur vt ex caritate, quæ iam est finis legis, obediatur. Nam ne erres, aliunde est, non innatum, vt sic dicam, quod caritatis amore ducti decalogum obseruare debeamus; hoc est, non eo ipso, quo iubemur honorare parentes, ex caritate id iubemur facere; sed quod mandatum præterea acceperimus, à Deo super omnia diligendo; ad quem proinde omnia nostra referenda sunt. Et tamen cum vtrumq; præceptum sit affirmatiuum, & proinde ex sententia scolasticorum obliget quidem semper vt loquuntur, sed non quemadmodum negatiua ad semper; separabuntur illa & vti

et erit ubi honoret quis parentes, charitatis regula non adhibita, absq; caritatis tamen præcepti violatione.

139. *QUAPROPTER* etiam si daremus (quod absit) aduersarijs nostris, neminem charitatis præcepto satisfacere posse; tamen non recte negaretur decalogi præceptum ullum à quoquam mortaliu[m] seruari posse.

140. *CUM* vero & præcepto charitatis, quod Deus à nobis exigit respondeamus; insignis est audacia, aut certè inscitia pertinaciter inficias ire velle, Dei mandata nostræ facultati vlla ratione subesse; & viri Dei horendam non reformidare sententiam, qua execratur eorum blasphemiam, qui dicunt, impossibile aliquid homini à Deo præceptum esse, ac à Sanctorum patrum consensu nihil Deum impossibile præcepisse, immo mandata eius facilia esse, asserentium, discedere.

141. *DENIQUE* quod et supra asserimus, nulli vnquam hominum licuit, sed nec licebit aliquando quicquam de his decem verbis remittere. Tanta est obedientia, quam exigunt, necessitas. Quid de homine dicimus? Deus qui fidelis permanet, negare seipsum non potest: quod tamen faceret, si ordinem iustitiæ suæ impermutabilem (ipse enim sua est iustitia) quam decalogi mandata continent, de medio tolleret.

142. *NEMO* ergo existimet relaxatam esse legem de homicidio non committendo, quando Abraham iussus est filium proprium occidere; nec de furto, quando filij Israel ex mandato Dei spoliauerunt Aegyptios; neq; de adulterio, vel fornicatione, quando præceptum est Osæ, vt accederet ad vxorem fornicationum, & generaret filios ex ea: Sed cogitet omnia esse Dei, & cui voluerit ipse, ea tradere; mortis omnes nos sententiam per primi parentis peccatum incurrisse; nemini iniuriam fieri, cum ab eo, qui vitæ & mortis habet imperium, quod debetur exigitur.

143. *HINC* fateri cogimur præcepta decalogi, quæ propositum voluntatis diuinæ, regulam iustitiæ certissimam & inuariabilem continent, seruata, ad iusticiam, quæ ex Deo nobis est, infusam videlicet, præparare; comparatæ iam, incrementa mereri. Nam iusticiam humanam, quis dubitat etiam effecisse, contulisse, vt non solum pronunciaretur, sed vere quoq; iustus esset, qui vitam suam ad ea quadrasset?

Præceptorum Cæremonialium vsus & Varietas. Cap. 14.

144. **CEREMONIALIA** autem significationi potius quam iustitia, nisi forte carnis, ut apostolus loquitur, seruiunt; et ideo tam multa, tam varia, ad designandas gratia operationes prope innumeras, extiterunt.

145. **QUANquam** negandum non sit, multitudinem eo quoque contulisse, ut diceretur pernicacium contumacia, aut potius cohiberetur gentes idololatrias imitandi libidi, quod ad improbos, et ad malum pronos attinet. Nam pluralitate ceremoniarum occidit, et veluti oppressis, non erat otium diuertendi ad alia, sed occasio potius exclamandi: Hec uere non licet, et fornicari liberet? Quod ad eos vero qui virtutis studio delectarentur, et propensiores essent ad veri Dei cultum; ut haberent plures vias, et crebriores occasiones referendi mentem ad Deum.

146. **OMNIS** porro multitudo ad quatuor classes, sacrificiorum, sacrorum, sacramentorum, et obseruantiarum siue morum refertur.

147. **SACRIFICIA** proprie dicta in tria diducuntur genera, holocaustorum, pacificorum, hostia pro peccato.

148. **IN** omnibus habenda erat ratio substantia, bouem ne, an ouem, an capram, vitulum, agnum, arietem, hircum, badumue ex quadrupedibus; an turturem, columbam, pulchrum columbarum, an vero passerem ex volatilibus in sacrificium assumerent; nam pisces omnino nulli offerebantur.

149. **QUALITATIS**: purumne et integrum, sine vitio, sine macula, an etiam etate matura.

150. **QUANTITATIS**: interdum enim totum absuebatur, quod fiebat in holocausto; quandoque sacerdos partem sibi accipiebat, quod contingebat in hostia pacifica; per sepe ad offerentem non minima pars redibat.

151. **MODI**: non nisi enim occisum cremari poterat, et quidem certa ratione primo a sacerdote eleuatum, et quasi Deo oblatum.

152. **TEMPORIS**: quaedam enim quibusdam diebus, et nonnulla mane et vespere, quaedam toto die.

153. **LOCI**: ante ostium tabernaculi, in atrio, ad altare, supra altare holocaustorum, ad crepidinem, &c.

154. **SVB** nomine sacrificij continebantur, quae oblationes priuato nomine dici possunt: Constabant pane cocto in clibano, fruxorio, craticula; vino de inde, oleo, sale, thure, spici integris, vel confractis, repudiato melle et fermento. Quae omnia suas habuere rationes proprias et peculiare, non significatiuas modo, verum etiam vales, siue literales; de quibus dicere longum est; sed generatim loquendo Christum annunciabant passurum, continebant gratiam

tam animi significationem, fideiq; professionem, qua creditur Deus rerum omnium principium & auctor, atq; adeo finis vltimus, ad quem omnia referenda; idololatria quoq; fugana & detestationem.

155. **SACRA** erant loca, tempora, res & personæ. Tabernaculum videlicet, cuius constructio, duratio, numerus, vel potius singularitas, partes adificij, tabula cum basibus, cortina, pelles, saga cum fumbus, annulis, ansulis, paxillis, & partes loci, prior posteriorq; atrium interius & exterius, non temerè præterunda, præter casam, quod dicitur, fugiendo. Res deinde contenta tabernaculo quidem priori, propitiatorium, cherubim mutuo se respicientia, arca in qua erant tabule testamenti, virga Aaron quæ fronderat & manna. Exteriori vero altare thymiamatis, candelabrum septem habens hastilia, & mensa propositionis panum. In atrio porro altare holocaustorum, cuius formam & materiam præscribit lex. Quibus addes utensilia omnia ad sacrificium & oblationem, ministeriumq; templi accommoda. Personæ, Sacerdotes & leuitæ: Tempora solemnitatum, iugis, sæpius repetitæ quotannis, vt Neomenia; sæpius Sabbathum; semel, pascha, pentecostes, tubarum, expiationis, scanopegiæ s. tabernaculorum, collectæ: Quæ præter mysterium, quod in se includebant, cultui diuino reuerentiam conciliabant.

156. **SACRAMENTA** quædam omnibus communia; Circumcisio, qua dedebatur quisq; Deo; immolatio agni paschalis, purgatio ab immunditia tam corporali, lepræ sanguinis, seminisq; fluxus, et ex contactu rerum, quæ indicabantur immundæ, siue domus siue vestis, siue cadaueris, siue vasis, &c. proueniente: quam spiritali, peccato videlicet; alia ad Sacerdotes peculiariter pertinebant, vt quibus mundabantur, consecrabantur, & ornabantur.

157. **MORES** gentis, quidam sicut de Sacramentis dictum est, omnes in vniuersum respicebant, quidam priuatim Sacerdotes. Spectantur ferè in victu & vestitu, nec non et in quibusdam etiam actionibus, præcipuè agricultura & tractatione iumentorum, & quorundam aliorum animantium. In victu quidem vt ne omnino sanguine vescerentur, ne quasuis carnes, nec quadrupedum, nec volatilium, nec etiam piscium comederent, & quibus vesci licebat, non quauis ratione conditas; nam non coques ait, hædum in lacte matris: poma quoq; non nisi de arbore circumcisa. In vestitu vero, ne ex panno vndecunq; contexto vestirentur, ne mulier veste viri indueretur, nec contra vir muliebri, haberent in ora pallij vittas hyacinthinas ad memoriam mandatorum Dei. Porro in agricultura non agrum diuersis seminibus, non vineam alio sererent. Quod ad iumenta & alia animantia pertinet, non ararent in boue & asino, non alligarent os boui trituranti, & non committerent mares & fæminas diuersi generis, matrem cum filijs, nido inuento, non tenerent. Sacerdotes po-

D stremo

Stremo ne vinum biberent, ne contaminarentur in mortibus civium suorum; pontifex
ne super patre & matre quidem, et alia multa. Quæ omnia futurorum ymbra fuerunt, pro-
pus autem Christi: quare eo adveniente, non solum deserunt esse in usu, verum etiam facti
sunt vtenibus mortifera.

De abrogatione legis veteris, et Iudicialium præceptorum distinctione. Cap. 15

158. *IT*A tamen ut aduentum Christi, non eius natiuitate, neq; passione, resurrex-
ione, & ascensione atq; etiam spiritus sancti missione; verum Euangelij diuulgatione
tiamur; ut quemadmodum loquitur *D. August.* Synagoga sepeliretur cum bonis,
quis forte caremonias illas pares fuisse cum gentium idololatria suspicaretur. Vide ergo
exacte considera discrimen inter tria præceptorum legis ab initio commemorata genera
prorsus enim, & eo quo iam diximus modo, abrogata caremonialia; moralia nullo pacto.

159. *FINGITUR* quidem ab aduersariorum nostrorum ducibus nescio quæ
rogationis modus; ut & hic habeant quod obstrepent communi & receptæ in Ecclesiæ
doctrinæ; quanquam non hic forte præcipuus finis, sed ut viuant anomi, & fiat illud quod
scriptum est, *Vnusquisq;* quod sibi bonum videbatur, hoc faciebat. Vertunt se in varias
partes: difficiles fatentur exitus: deleri de cordibus non posse a seuerant, quod præcepta
legis præscribunt: obedientiam manere confirmant; & tamen legem hac parte sublatam
audient, quia quod aduersus eam deliquimus Christus passione sua sustulit, satis accedens
videlicet pro nobis.

160. *IN* cuius quæso mentem vnq; incidit, ut suspicaretur se lege solutum, propter
quod a peccatis absolutus esset? Quotidie ut audio & bene & male soluitur lex; quia
quotidie hominum malitia soluitur, et quotidie Dei benignitate soluitur; & apertus qui potest.

161. *ALII* qui plus sapere se arbitrantur, aiunt legis inuiolabilem manere doctrinam
admonitionem, obiurgationem, correctionem, & ad omne opus bonum formationem. Sed
constringendæ conscientiæ vigorem, imperiosam exactiorem eius quod mandat, sublatam.
Quæ quo modo consistit qui videt, plusquam lyncæus est. Aut enim constringendæ con-
scientiæ vigorem non habet, quod præstitum sit credentibus eam posse seruare, aut quod
negligi possit: quorum prius illud non admittunt, etsi maxime admitterent, improprie
tribuitur legi, quod legis executori dari debebat; posterius verò vanam reddit ad moniti-
onem, obiurgationem, correctionem, quam tamen isti manere contendunt. Imperio a porro
actio quæ est, nisi quæ terribilia non parenti minatur? Horrenda sanè lex. Mosis sua decem
ciat transgressoribus: Sed si fides est, ad terrores euangelicos exigua videri queant. Sicut

igitur erat non discedere à communi, recepta, constanti, plana, Ecclesie doctrina, qua Cere-
monialia omnino sublata, moralia verò præcepta penitus integra permanisse, cognoueram.

162. **IVDICIALIA** veluti medium obinent. Quamuis enim sequendi ea necessitas
sit sublata: nemo tamen, si usus ita postulet, & seruare, & ut pro lege seruentur statuere,
prohibetur: dummodo absit Iudaica illa opinio, legem Moysi adhuc vim suam retinere, siue
propter decentem Reip: administrationem ut venturo Messia populus præparetetur, quod
præcipue spectabatur in eorum institutione: siue (quod periculosius est) propter annexam
significationem: cum omnia illi populo, ut testatur Apostolus, in figura contigerint.

163. **QUATVOR** omnino Iudicialium præceptorum fontes siue capita erant; vel enim
ad principem, vel ad ciues, vel ad externos, vel ad domesticos cuiusq; pertinebant. Et principis
quidem cuiusmodi (ut summatim dicatur) esse debet electio, quod eius officium, quis honor
esset ei deferendus. Ciuibus verò quid seruandum, in distinctione agrorum, usufructuum,
cura commissarum rerum, & non commissarum, permutatione, alienatione, mutuo, locatione
tam rerum & iumentorum, quam operarum, pignore, fenore, iudicijs, testibus, pœnis homi-
num & bestiarum. Cum externis, siue amicis, per terram eorum iter habentibus, cohabitare
vel etiam ciues fieri & religionem ipsorum assumere volentibus, Idumæis, Egyptijs,
Ammonitis, Moabitjs, Eunuchis, de scortonatis, siue hostibus, tum terræ sibi promissæ in-
fidentibus, tum longius absentibus, quomodo se habere deberent. Cum domesticis postremo,
qua ratione serui tractandi, puniendi, dimittendi; liberi erudiendi in rebus fidei, instituendi
in moribus, vendendi paupertate cogente, vxor ducenda, habenda, dimittenda.

Legis Euangelicæ natura, vis et efficacia, et quare noua dicatur. Cap. 16.

164. **HÆC** fuere Elementa, sub quibus filij Dei adhuc paruuli erant seruientes; Cum
autem venit plenitudo temporis, venit & plenitudo perfectioq; legis, quæ & ipsa lex appel-
lata est; scripta non atramento, sed Dei digito: non deformata in lapidibus sed impressa ta-
bulis cordis carnalibus.

165. **EAM** si definire oporteat, dixerit quispiam non male, esse vim quandam caelestem et
diuinam, mentibus credentium infusam, docentem simul et mouentem ad agendum quæ ad salutem
æternam conducant, verbo sibi uel scripto aditum patefacientem, et sui usum commonstrantem.

166. **QUOD** si alijs quis magis descriptionibus delectetur, potissimum de diuinis lite-
ris sumptis, ut, quod sit lex fidei, aut lex spiritus uitæ, aut lex perfecta libertatis, aut virtus
Dei in salutem omni credenti, aut charitas diffusa per spiritum in cordibus nostris, aut
charitas de corde puro, conscientia bona & fide non ficta: Suo sane iudicio fruatur, modo nè
absolutissimas putet descriptiones.

167. **REVERA** enim charitati aut gratiæ potius per spiritum sanctum in corda
stra diffusa, primæ partes debentur: fidei purificatio tabula cordis tanti momenti
scripturam recepturæ: vñctioni libertas: vita spiritui: salus virtuti.

168. **ET** cum dubium nullum sit, quin lege euangelica intrinsecus ait B. Augusti-
data, impij iustificentur; si qua omnino ratione dici potest, sola fides iustificat: longe accom-
modatiori, sola charitas iustificat; accommodatissima porro, Solus Deus iustificat. Cum ve-
tem reuera nihil horum omnino recte; veritas enim sic veritati detrabere videtur, ut si sola
fides, non etiam charitas, non (quod blasphemum est) Deus iustificet: tutius est, ut hoc
niam & plura alia simul (Qui enim sine timore est, non poterit iustificari; Eleemosyna quæ
à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata & cat:) & singula seorsim, uocula illa
uisa Solitudinis detracta, iustificare dicamus.

169. **CÆTERVM** ut solam iustificationem libertatem parere, salutem conferri,
vitam ducere & cat: dicat, prohibetur nemo.

170. **NVM** autem ita solam legem Euangelicam iustificare, asfirmare liceat, ut alia
exclusa censeantur, quæstio esse potest. Si enim non licet, inuenietur fortasse, qui sine fide
sine charitate, à quibus lex euangelica denominationem accipere solet, iustificetur, quod
adynaton: aut saltem non sufficiet lex euangelica ad iustificationem, ita q̄ aduocanda erit
alia leges; si licet, quid dicemus de ijs qui eam præcesserunt? aut si non præcesserunt eam,
quomodo dicitur lex noua? veteri videlicet succedens; & non potius antiqua antiquior
mo antiquissima, ut quæ fuerit ab exordio mundi?

171. **CONSTAT** enim ab initio generis nostri, nullo sæculo, nulla ætate nõ existisse iustos
aliquos, immo plurimos. Quis enim credat patriarchas tantũ, et prophetas, et paucos præterea
in scripturis celebres, de innũmerabili multitudine saluatos? Ut recte alicubi D. Amb. dixisse
videatur, legem Moysi subintrantem cursum euangelij interrupisse: Itaq; non successisse
euangelium legi, sed præcurrisse legem, & fortè concurrisse cum ea dicendum erit.

172. **QUANQUAM** nouam dici posse diffitendum non sit, quod nouos faciat homi-
nes; ac rursus, quod antiquanda nunquã, nunquam alia quæ illi succedat expectanda. Inter
gratiam enim & gloriam, inter finem, & quæ proximè ducunt ad finem, quod potest esse
medium? Interim non tollitur difficultas, quæ ex successionis nouitate nascitur.

173. **NEC** sat scio, an fecerit satis quæstioni huic, qui dixerit, homines illos ad nouum
pertinuisse testamentum. Quomodo enim pertinuerunt si ipsum non acceperunt? si autem ac-
ceperunt; quomodo prius, quam à Christo in fine seculorum conderetur, non fuit?

174. **QVOD** si quis dicat præcipuum quod est legis euangelicæ, nimirum gratiam
semper fuisse: accessorium .i. absolutissimæ virtutis mandata minimè, sed cum qui dicitur
patribus

patribus loquebatur in prophetis, quæ ad exteriorem cultum & institutionem vitæ pertinebant, nouissimè locutum in filio, quæ ad interiorem; in tres reprehensiones, incurret; primum enim, indignum est propter accessorium, Euangelium legi præponere velle; Deinde hoc filio Dei in carne venturo referuare: postremo non satis meminisse videbitur & charitatem præceptam, & cupiditatem in lege Mosis prohibitam, & fidem exactam fuisse: quibus quid absolutius reperiri possit, non video.

175. QUID igitur superest quo elabamur, cum non hominum commentum, sed Dei verbum sit expressum, euangelium legi successisse: nisi fateamur gratiam noui testamenti omnibus quidem seculis fuisse communem, sed gratiam vnius hominis Iesu Christi in plures non abundasse: Abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ vulgo non fuisse oblatam: expectatum esse, donec redemptione per Christum consummata, peccati impedimentum ab humano genere tolleretur.

Collatio legis & Euangelij Cap. 17.

176. *INTEREA*, quamuis gratia non ex vi legis daretur ijs qui viuiebant sub priori testamento, qua de causa recte dicuntur ad nouum pertinuisse: ipsa lex tamen ad eundem suos ducere finem conabatur, ad quem euangelium: sed ratione minus efficaci, vel, si ita vis, rudiori, quia pedagogica.

177. *HINC* fit ut lex noua cum veteri vna fuisse, rectè afferatur. Vna quidem fine, at non vna perfectione. Illa enim in ymbriis, hæc in luce; illa promissiones habens terrenas, hæc spirituales & cælestes; illa timoris & seruitutis, hæc amoris & libertatis; illa manum, hæc animum cohibens; illa iubens, hæc iuuans.

178. *EX* eo porro, quod legi nouæ perfectio tribuitur, sequitur quoq; euangelium legem complexisse & perfecisse, tum iustificationem conferendo, quam illa verbis & signis quibusdam polliceri tantum potuit; Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens, in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis; tum auctorem suum legi subijciendo; tum præceptis illius consilia nonnulla, quæ spontè qui vellet completeretur, adijciendo; sed & legis sensum exponendo; & alicubi rationem commodam & tutam eiusdem obseruandæ tradendo.

179. *SEQVITVR* præterea veterem nouæ veluti semen quoddam et primam delineationem fuisse; & ideo sicut posteriora prioribus insunt, ita nouam veterem contentam fuisse.

180. *ILLVD* postremo ex eadem assertionem colligitur, non si multitudinem præceptoris

spertes, sed obedientiam quam noua exigit exactissimam, animi uidelicet recessus abilitissimos omnes, non manum tantum, comprimens, difficultatis eam multo plus habere, quam veterem: dico autem virtutibus destituito; alioqui, mandata eius graua non sunt, amantissimi scilicet, ut inquit D. August. fortis enim, ut mors, dilectio.

Euangelium quid contineat & quæ libertas Christiana. Cap. 18.

181. **PROPTEREA** enim lex perfecta libertatis dicitur, quod, instinctu spiritus sui diffundentis charitatem in corda nostra Deus suauiter quo uoluerit sequentes ducit, non repugnantes trahit.
182. **NON** ergo quod uiuentibus sub Euangelio liceat, quod libeat, aut quod nulla sint omnino precepta de officijs iusticiæ Christianæ, dicta libertatis lex credenda est.
183. **QUANQUAM** diffidendum non est, ea etiam ex parte libertatem ei ascribi, quod Iudicialium & ceremonialium preceptorum pene innumerabilium veteris legis iugo sublato, non nisi necessaria plane exigat; cetera arbitrio cuiusq; nostrum, & maxime palatiorum, quibus obedientiam præcipit deferamus, committens.
184. **NECESSARIA** planè sunt, sine quibus aut haberi gratia, aut retineri non potest.
185. **HABERI** lege communi non potest sine sacramentis; siue quod ita Deo uisum est, siue quod cum omnis gratia de plenitudine uerbi caro facti in nos deriuetur, per aliquos sensibus subiecta id fieri debeat.
186. **RETINERI** non potest, sine actionibus dono gratiæ congruentibus, & necessaria quadam consequentia ex ea profluentibus: minime autem, cum repugnantibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuersio Christi ad Belial?
187. **IGITUR** homini Christiano neq; à præceptis sacramentorum, neq; à præceptis iustitiæ discedere licere, satis liquet. Si enim discesserit, aut gratiam non consequetur, aut consecuta destituetur.
188. **SI** quæ autem sunt, quæ cum gratia cohæreant, conferantq; ac plurimum quidem, ad tuendam iusticiam, non sint tamen ad eam rem necessaria: qui paruerint, multa laude dignierunt, & gradum sibi bonum acquirunt; qui non paruerint, absq; contemptu & amara reprehendi non merebuntur. Quapropter libertas Christiana, non a kepalia aut ataxia, aut

nescio qua parrhesia, postremo anomia consistit, sed cum primis in immunitate à peccato, quæ habetur simul atq; gratia cordibus fidelium infunditur. Nam testimonio domini, *Qui facit peccatum, seruus est peccati*. Si ergo vos filius liberauerit (non dubium, quin à seruitute, de qua locutus fuerat) verè liberi eritis.

189. **DEINDE** in eo, vt nihil, non dico agas, sed inuitus facias; quare nec timore coactus tristis & moerens, sed sponte tua ac voluntate propria, ex amore, cum voluptate quadam & iucunditate coniuncta; quod intellexisse satis videtur, qui, *Da operam, inquit, vt nihil inuitus facias, id est, voluntatem & ingenium tuum rebus necessario obeundis accommodes, non autem iugum omne abijcias; Qui enim libenter imperia excipit, magnam seruitutis partem effugit, facere quod nolit. Et hæc quoq; libertas habetur ad gratia ingressum. Nam id postulare vt nemini omnino neq; parentibus neq; præceptoribus neq; Deo ipsi pareas, insani capitis esse videtur. Quod si vero deo parendum est per omnia, ergo & ijs quibus vult vt pareamus: Ergo in primis pastoribus animarum nostrarum: ergo & regibus ac principibus; ergo maioribus quibuscunq; ad quos cura nostri pertinet; legitur si parere seruire est, Christiani serui sunt; Quales autè serui, non obscure fert Apostolus: *Liberati inquitens à peccato, serui facti estis iusticia. Iusticia seruit qui legibus prælatorum Ecclesie se subijcit, qui parentum & præceptorum mandatis obsequitur.**

190. **PRÆTEREA** quod libera plurima sint nobis relicta, et tamen, quæ Dei est bonitas, non ita vt paris essent momenti assumpta vel omissa, sed sic, vt omissa nihil obessent, assumpta prodesse semper, ac quandoq; quidem non vulgariter.

191. **ET** interim tamen, quamuis necessaria tantum exigat, hominem perfectissimè informat Euangelium, siue quod ad animi motus, siue quod ad officia Christiana pertinet.

192. **VT** enim de his quæ precipue animum componunt loquendo, *D. Augustini* verbis vtamur, cum dixit dominus, *Qui audit verba mea hæc &c nempe quæ referuntur à S. Matth. Cap. 5. 6. et 7. satis significauit istum sermonem omnibus præceptis, quibus Christiana vita informatur, esse perfectum.*

183. **MOTVS** animi sunt à voluntate. Fac vt ea in se sit pura; qualis fuerit si mali nihil, nè clam quidem, apud se machinetur aut affectet, siq; quod bonum & honestum est appetendo, & conatu moliendo, scopum, quem decet, sibi præfigat: fac sit sincera cum proximo, neq; temerè quicquam de rebus ad ipsum pertinentibus pronuntiando, neq; interim quæ dignitate plena sunt indignis committendo: fac habeat rationem veram seruandæ doctrinæ Euangelicæ, vt cognoscat, in implorato Dei auxilio, in studio, diligentia et conatu proprio, in cautione adhibenda, nè quis ab astutis hominibus seducatur, consistere: & quod primo loco dictum oportuit, fac habeat de tota re veram sententiam, saluum fore nemi-

nem

nem solo auditu verbi, sola confessione fidei, sola miraculorum operatione, sed necessario ad iungendam mandatorum Dei obedientiam (quæ summa est totius illius concionis vel constitutum beatitudinis finem & doctorum euangelicorum dignitatem commendatam) fac ergo sic compositus sit animus; & nihil erit quod desiderare queas.

194. DE officijs vero, quid potuit vel rectius, vel absolutius constitnere, quam videret & quæ vsui forent, ad gratiam necessario comparandam, vel ad eius legitimum & necessarium vsum: reliqua iudicio & charitati cuiusq; libera faceret? Sic enim in vita Christiani hominis reperiri nihil potest quod carpatur: potest reperiri, quod vehementer commendetur: Si nimirum propter virtutis amorem amplius quid, quam quod exigitur ab ea, præstet.

195. AD gratiam comparandam, vsui sunt fides & Sacramenta.

196. AD vsum gratiæ faciunt quæcumq; opera charitatis; sed ea quidem quæ de alijs præscribuntur necessario virtus exigit, vt sine quibus salua esse non possit: Cætera quæ sparsim habentur in Euangelio, non item.

197. ET multa sane sunt eiusmodi, sed in tres omnino classes rediguntur; diuitiarum abdicationem: Si vis perfectus esse &c. voluptatum aspernationem: Sum Eunucho &c. Qui potest etc. Matth. 19. Ambitionis suppeditationem, siue honorum contemptum: Sequere me, ibidem, Si quis vult venire, &c.

198. HIC verò geminus accidit error; Alter eorum, qui negant præcepti vim ea habere posse. Alter eorum, qui contrariam viam ingressi nunquam non habere contendunt: cum veritas media via incedens habeat, absolute illa non esse obseruati necessaria: accidere posse tamen, vt discrimen salutis incurratur, si prætermittantur.


199. NAM si de Dei gloria agatur, quam necesse sit obscurari, nisi aut tuis bonis cedas, aut alteram maxillam præbeas: quis dubitat ita te ad hæc facienda teneri, sicut ad gloriam Dei tuendam?


200. VICISSIM, quis nescit neq; Christum neq; Apostolum perentienti alteram non porrexisse maxillam?

201. HÆC ergo & similia ad præparationem inquit D Aug: non ad ostensionem operis præcepta rectè intelliguntur, vt nemo non paratus esse debeat, vel maxillam alteram porrigere, vel pallium cum tunica dimittere, vel odientibus benefacere, vel pro persecutoribus orare, vel ab vxore abstinere & cæc: si necessitas postularit: Nam alias necessitate nulla urgente, licebit hac ex parte quod libebit; felix interim, cui libuit, non modo quod fecit, verum etiam quod consultissimum esse duxerit.

Libri Sacretatis Iulii Paderbornensis. no. 99.

FINIS.











TV

Th
2781